34.1.L.70
8
114

VRBANO OCTAVO
PONT. OPT. MAX.

Cur bonis mala, ſi & malis bona.

ANGELVS CONFETTVS
Maioris Præſidentiæ Abbreuiator.

ROMÆ,
Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. M DC XXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Cur bonis mala, ſi & malis bona.

SI in naturalium rerum perueſtigatione, atque illarum cauſis, & principijs euoluendis; ſummam ſibi laudem, & gloriã, Sapientium nomine cohoneſtati, vindicarunt complures, Beatiſsime Pater: nec vllus eſt ferè, tametſi non excultus doctrina, qui iſta quandoque, non ſecum ipſe contempletur, & quærat; quid affirmandum eſſet de ijs, quæ nunc proſpera, nunc aduerſa (Diuina iubente Prouidentia) obueniunt homini, cùm multò nos propiùs tangant: atque ex ijs propterea, ad rem noſtram, commodiora poſsimus documenta percipere? Sed cõtra fit tamen: hæc enim à cauſis, (cùm ſibi vel alteri contingunt) aut nemo diſquirit, aut ſi quis fortè quandoque, adeo affectionis proprię obũbratus caligine, vt in ea potius, quaſi vecors, quaſi cœcus incurrat. Eram diebus elapſis (Beatiſsime Pater) nonnullos inter, præſtantis ingenij viros; atque ſermo, vt moris eſt, ex vna, in aliam rem protrahebatur: cùm fortè ſunt ex me percunctati, (vulgare illud quidem, atque millies requiſitũ) Cur bonis tot ærumnæ ac mala, cùm & iniquis, vel in dies identidem, multa bona ſuccedant? immo & ab iſtis non nunquam, vt illi opprimantur permittatur: atque ex eiſdem bonorum ruinis, vt magis iſti ſubleuẽtur ad aſtra? Vulgarę illud quidem, ſi ad interrogationem reſpicimus: ſed quia nunquam nimis quæritur, quod nunquam ſatis ſoluitur; idcirco nec vulgaris (vt videtur) nec ſuperuacua percunctatio, ſed, & quod magis animos tenere videbatur, id erat ex eo, quòd hinc etiam aliquando, nonnulli iuſti videbantur perire: videbantur nimirum, illis tanquam offendicula obijci, in quæ offendentes deinde, miſerandum in modum, præcipitarent in mortem. & fuit dictum poſtremò, quaſi quærendo, ac diffidendo ſimul de reſponſione, profundum nimis, nimis immenſum

Oceanum: haud eſſe rem caduci, atque mortalis ingenij, diuini obſcura iudicij perſcrutari. Nihilominus tamen, & tunc extemplo, quæ occurrerũt reſpondi: & nunc exactiùs, Deo dante, contendam: & dicam Primo, haud vires humanas vſquequaque excedere (quamuis obſcura, & inuoluta in ſe, immo licet, vt tangam, hoc noſtrum videre, ſit tanquam per ſpeculum in ænigmate) diuina conſilia, vel ex parte, conijcere: pedetentim deinde dubitationem omnem euellam: idque moliar denique, vt talem quaſi tabulam formem, quæ non minus ardoris, vt permoueat animos, quàm lucis, vt bene ducat oculos, ſit emiſſura è ſuo ſinu. Nec id me deterrebit, Beatiſſime Pater; quòd hunc locum ſciam, tot ab ingenijs, atque tam exquiſitis fuiſſe tractatum: cùm non ſolum ſine dubio, ad omnes omnium ad Deum pertinentium, enodationes, illud queat appoſitè dici: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Sed quod animos addit, vel hæc vna res ſit, quòd non ſunt partus noſtri ingenij cogitationes excelſæ, res bonæ, ac pulchræ: nec nos homines ſumus, ſed eſt Deus, & ille Deus, qui quò plures impartit, eo plures, vt impartiat habet; qui nobis illas infundit, & donat: nullus ergo numerus, nulla meta: nec alij aliud ingenium idcirco, quicquam præoccupat, aut minuit ex minima re; non eſt, cur tritum illud vſurpetur: Nihil dictum, quod non ſit dictum prius: nam ſemper Deus eſt nouus, ſemper magis inexhauſtus, locuples.

Quod ſi vero, tantũ ego videor confidentia progredi, vt hanc breuem non dubitem Sanctitati Veſtræ diſputationem offerre; non id ago, quòd æſtimem tanti momenti res meas: ſed potius hac ipſa congruentia, quòd res illæ, quæ nõ ſunt faciles explicatu, & quoquomodo pertinere, vel dependere poſſunt ex ipſa noſtra fide; ad quem iuſtius referantur, quam ad illum, qui ritè, ſanctèq. in terris, tanquam vox, tanquam Dei obſeruatur interpres: nec minus cœlorum, vt eos, qui rectè credunt, inducat, quàm ſanctæ fidei, vt rectè

creda-

credatur,claues tenet,explanationemq. non dubiam? Leuem hunc ergo laborem, gratum habeas,oro,benigne Vrbane: atque dum ego (non degeneris inſtar Iſraelitæ) humilitate ac reuerentia plenus; ad aram ſanctæ Matris Eccleſiæ,has tenuiſsimas meas primitias defero;placeat,inde reportem,vt à ſupremo Dei miniſtro,benedictionem illam, qua poſſit etiam aliquando noſtrum paruulum granum, quaſi ſuo tempore cælesti rore completum, eius puro in agro, dignum aliquem fructum, aliquem partum ferre. Et humillimè tandem dans oſcula pedibus,atque velut dimiſſionem efflagitans (vti vltra non audeam loqui coram,ſed per multum exiſtimem, ſi hac in mea diſputatione non diſplicuerit, ſaltem ex abſcondito Maieſtatis attendere) aſpectum aliò, ſermonemq. conuerto.

Præpotens illa, atque ineffabilis Bonitas,quæ ad æternam felicitatem vocauit hominem; talis etiam ipſi intelligentiæ lumen attribuit,vt rerum omnium, quæ quoquomodo illi, ad eam obtinendam, poſſunt conferre, tantum queat hac ipſa perſpicere, vt ex eo quod perſpicit, & in cæteris etiam, quæ non ſic facile diſpiciuntur interdum, poſsit ac debeat perlibenter quieſcere. & hinc etiam fit, vt quamuis homo ad huius ſpem felicitatis, quaſi tali pacto vocetur; ſi, licet cæcus, hac in vita nimirum, & tanquam in ænigmate videns,permanet tamen inuictus in fide; nihilominus inquam, tam vltra poſſit iſta progredi luce, vt ipſamet eius ratio, quaſi nubes inter, ac nubes, ſapientias Dei dignoſcens,trăquilletur,atque pacetur omnino: hincq. poſtremò,eò excitetur ardentiùs,eò velociùs rapiatur ad finē.

Sed quæſo perpende, ſi hoc noſtrum videre ſit tanquam per ſpeculum, in ænigmate: ſi quaſi dixerim etiam, dum his carnis obtegimur velis,& quicquid ipſi nos ſumus, & quæcunque Dei habemus, ſint nobis quodammodo tanquam ænigma, ænigmati tanquam ſimilia?

Ecce reperimur hoc in orbe terrarum, cùm nec vnde veneri-

mus: nec quo nobis ſit iter: nec quicquã per nos ipſi ſciamus. nobis eſto, qui tanta gratia, ſumus ſalutari regenerati lauacro, ſit obuiam fides, illa fides, quæ nos illuſtrat, & docet: ſed hæc ipſa non eſt inſtar ænigmatis? quam arcana, quàm aliena? ſi ſacrarum litterarum monumenta prębentur, quo velo ſunt inuoluta, quàm dictio periculoſa, quàm ſenſus implicatus, & altus?

Illa cõiunctio Diuinæ gratiæ cum libertate arbitrij; quòd vna ſit, cui poſſit vnum quodque attribui: vna, quæ trahit, & altera tamen nec offendatur in minimo: ſed illa quoque ſua ſponte cõcurrat: quòdque videatur ex alia parte, vnuſquiſque ſibi placita ſequi: omnes homines, vt ita dicam, ſuo regi arbitrio, citra Diuinæ prouidentiæ frænum; non ne tanquam myſterium, non ne difficilis nodus?

Contemplare deinde, hoc totum, quod ſumus, & ſenſum videlicet, & rationem: hoc aperte videri, non eſſe ſenſum, niſi ad rationis manifeſtã perniciem: & eſſe prorſus cõtrarium, eſſe tantum, vt excitet illam, vt reddat fortiorem, maiorẽ.

Perpende mandatum illud: quod tam alte, quod tanta cura in Chriſtiani pectus inſeritur: vt in præſens, malum excipiat, ad præſtolandum in poſterum, bonum. Vt quod videt, quod ſentit & bonum, & pulchrum, exiſtimet certè non eſſe tale: ſed aliud eſſe, quod re vera ſit tale: & hoc cum illo permutari debere.

Sed amplius dicam, vt perſuadeat ſibi; adeptionem non eſſe, niſi intercedente iactura: non introiri ad vitam, niſi mortis per ianuam: in ludibrijs, in contemptu deliteſcere gloriam, & honorem: in catenis, in morte, in diſruptione, diſperſione membrorum (quaſi putridum cœnum, quaſi nihil eſſet homo) repoſitum eſſe, vt quis liber euadat: vt regnet: vt reperiatur, nec amplius poſſit deperdi: vt renouetur in immortalem, in æternam vitam; Non ne omnia, non modò auditu, atque captu perdura: ſed monſtra, ſed paradoxa videntur?

Nunc

Nunc ergo attende, ſi tanquam in ænigmate videmus, ac ſumus: ſi verum eſt illud; nimis altum Oceanum: nimis alta, nimis remota nimirum, diuinarum rerum cōſilia? Sed quid propterea? tali etiam luce, vt dico, ditatus eſt homo, vt partim per ſeipſum perſpiciat, & ſit illi quies huc vſque: partim per hoc ipſum quod videt, vſque in eorum abſtruſa, quę mentis acies nequit videre, conijciendo, ac perſuadendo diſpiciat. quòd ſi Socrates obſcuriſsima Heracliti ſcripta peruoluens; dixit (& propter dictum laudatus eſt): Quæ quum quidem intelligo, ſunt pulchra, ac digna: & idcirco quantum hæc etiam non intelligo, eiuſdemodi puto; quid dicendum erit de Deo, qui ſumma bonitas, ſumma ſapientia eſt? ita; ita prorſus: per id, quòd perſpicimus, & in id etiam, quod aliquandò nequimus, coniecturam facimus, penetramus: & hoc modo re vera cadit in nos, quod ex parte videmus, ex parte prophetamus: ſed quoniam vnaquæque nos Chriſti fideles, ſanctæ fidei lumine, atque ductu aſſequimur; noſtrum prophetare eſt verax, non fallimur, non ſeducimur: atque ſic etiam demum, ad vniuerſa pertingimus integrè, perfectèque.

Sed ecce, vt ad propoſitam accedam quæſtionem; fac eſſe bonum virum, virum, qui toto curſu ſuæ vitæ præteritæ, rarum virtutis proponatur exēplar; & hunc eſſe tamen in perenni miſeria, per oppugnatum, afflictum; quin etiam & à nefarijs quandoque prædonibus conculcatum, oppreſſum: per vim, per atrocem iniuriam ad ſupplicium tractum, dilaceratum, diſcerptum: & contra fac illoſmet prædones, qui antequam iuſtum opprimerent, diu multumque conſultarunt de modo, ſunt exequuti, vt planè tandem cogitabant euenit; fac illos inquam, feſtiuos, ac lætos, tanquam in latitudine frui, quas tanto ſcelere ademerunt, diuitijs: fac eos per mille ſe volutare peccata, & in eiſdemmet, quæ horret lingua: ſuccedere illis, vt etiam intercipiant regna: dominentur, honorentur in Terris. adiunge, ſi placet, ad finem

vitæ quietiſsimi veniunt: moriuntur, nec quicquam vltra videmus. Et quis(mihi dices)non hic exibit è mente? quæ tam perſpicax intelligentia, quod tam validum cor? ſed ſuſtine, ſile: non erit enim fortaſſe magnum, hunc exoluere nodum. Tantæ virtuti, tantæ bonitati, an non debet Deus ex æquo, retributiones, ac præmia? immo verò, & coronas, & præmia, pro ſui ipſius bonitate, atque amplitudine infinita, immenſa. ſed non eſt præmium, non eſt quicquam in terris, quod vel Deus, ſi tribuat, ſatisfaciat ſibi, vel quod reuera, pari pro gratia, poſſit homini reddi; ſi obtemperat Deo: ſi ſubſiſtit inuictè: ſi per eius currit præcepta. Quid dicam? nihil hic reperitur, quod æquet hominem, aut illi ſit par: cœleſti lumine inſignitus eſt homo: atque pro eiuſmodi dono, non niſi ad Bonum, ac Pulchrum eſt directus, ac factus: ad Aeternum, ad Verũ, ad illud Vnum, quod eſt. & hinc euenit etiam, vt quicquid non eſt tale, cùm nequaquam conformetur ad ipſum; nunquam fieri poſsit, vt ex amuſſim ſatisfaciat illi: immo quemadmodum in re aliena, quò ſeſe magis in illud inſinuat, quò ſeſe magis circum illud prouoluit (ibi ſe putans poſſe ſitim explere) eò ſe magis ardentem, eò ſe ſentiat inquietum magis. nec mirum, res enim æternæ, atque caducæ; citius dixerim, veræ, ac falſæ; ſunt diſiunctiſsimi termini: ſunt ipſi fines poſtremi: ex quo fit neceſſario, vt quò quis magis accedit ad alteras, ac ſeſe magis in illas ingurgitat, eò magis ab alteris recedat, & abeat. Sed ſi non niſi alteræ ſunt illæ quæ ſunt: & ſunt hominis finis, ipſius vnus, ac neceſſarius finis: ad quas vtique homo velit, nolit, anhelat; qui fieri poteſt, vt quò quis longius abeſt, non eò magis concupiſcat, & doleat? dolet, exoptat quidem, ſed non comprehendit quam rem: dolet, exardet immo, ſed miſerè falſus circa rem obiectam, & finẽ.

Sed rem à capite repetamus. cùm ergo præmium iuſto debeatur omnino: nec ſit vlla res inter nos, quæ ſit illi ſufficiens; in altera vita præparetur ipſi à Deo neceſſe eſt: ſed

ſi præ-

ſi præparatur in altera ; quicquid eſt in hac ipſa, quod ſit aptum, ad id præclariùs conſequendum in illa, cur non id charum & acceptum habebit? immo, hoc vnum (nec ſic effari prohibear) eſt omne præmium, quod ipſe Deus in terris retribuere poteſt homini (pro pulchris, pro illuſtribus factis) viam illi nimirum, atque modum præbere, vt id præclarius nanciſcatur in cœlis: vt ſuum finem (quid multa?) conſequatur excelſiùs.

Vel hunc in modum loquamur: Cœleſti pro patria, & vt lucrifaciat Deum, procreatus eſt homo. ſi verò id vnum ipſius eſt finis, & à ſui finis adeptione (prout nimirum plus, minuſve acquiritur) vel ab excluſione ab illo, ineſt & modus omni rei creatæ, felicitatis, & contra; quid dubij, quæcunque ſunt reliqua, ſic erunt bona, vel mala: conſideratione digna, vel non, vt ad eum ſolum prodeſſe, vel obeſſe, quid poſsint? ea tantùm ad ſummam, quæ diuiniùs homini ſuum ad finem, gradum facere poſſunt, erunt æſtimanda, quærenda. ſed eiuſcemodi ſunt viro iuſto quæcunque, mala nuncupare ſolemus: ſunt inſtrumenta, ſunt viæ, ſunt inſtrumenta cœlorum, ad excellentiùs, atque ampliùs ſuum finem habendum: ad ampliùs certè, nam quò minus in terris tibi reddit Deus, eo plus in cœlis tibi adſeruet eſt æquum: ſed ſi verò in terris, non modò non reddit, ſed auferet: reddit mala pro bonis; quantum in cœlis adaugeat tibi, conſentaneum eſt? ita ſanè, quid dubij? dum hìc in via nos affligit, & premit; illìc in loco nobis gaudia fabricatur, & bona: dum hìc, iſta minuta, & quædam quaſi puncta, ſubducit, illìc attribuit grandia, & velut montes adnectit. Quid quæris? non ſunt aliæ viæ ad excellentia bona: ipſe Deus nō ſeſe diuitem ad noſtram coronam, præclarioribus inſtrumētis oſtendit, quàm ijs, quæ mala vocantur: quæ mala; ſed quæ? ſi parturiunt bona? quæ mala, ſi vix tenui ſublato velo, agnoſcis bona, ac bona perennia, in ſempiternū tempus duratura? non in via, in loco eſt quod bonū,

& ma-

& malum: ibi ſunt reuera, quæ ſunt: ſunt reuera, nam potiuntur, vel excluduntur à ſuo fine, quid vltra? ſed quæ, hac in vita dicitur, quoniam effluunt, ſunt leuia, vacua; nō ſunt vllo modo ponenda, niſi eatenus, quò ſunt pedes, & alæ, vel præcipitia, atque lapſus ad illa; cæterum bonis, ſunt omnia bona, omnia ipſis cooperantur in bonum: ſed multò præſtātius mala: hæc ſunt egregia, hæc illa, per quæ Rex ille ſummus, quas amat animas, ſibi deſpōdet, & iungit: nec excellente quemdam in modum, niſi admodum paucis conceduntur, ijs tantum nimirum, qui ſeliguntur è multis, è penitiſsimo, atque chariſsimo Dei theſauro: vnde vir iuſtus, vt qui quaſi notā, atque cœli ſignum comprehendit; hic exultat, & gaudet: & ſic audis illud: Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu, contumeliam pati; & cùm vereatur quodammodo, ne; ſi hac in vita, quid boni receperit; quod reuera eſt bonum, ſibi minuatur in alia: ſed quod magis ſolicitat illum, ne non tam egregie de ſe ſentiat Rex: nec non tam fidus habeatur ab ipſo; de malis non item: ſcit enim à Deo, non niſi magnam per fiduciam dari, non niſi tali, hoc eſt, de quo multum perſuadeat ſibi. exultat, gaudet igitur, ſed tacet, & quaſi Regis Sacramentum abſcondit: demittit ſeſe, atque iuges gratias agit.

Vidiſti nunc, vt quæ tu diceres flagella, & mala, non ſunt niſi iuſtæ remunerationes, ac bona: & hæc eiuſcemodi, vt non ſint alia præclariora in terris? Pergamus modò. & cùm, obſecro te, viderimus hæc etiam fuiſſe neceſſaria, ſi verè liberi, ſi rationabiles eſſe volebamus; demonſtremus itidem multò magis, quæ, & qualia ſint iſta, à quibus, vt à malis abhorremus.

Placuit Deo, rationis egregio dono, libertatiſque cohoneſtare hominem: ſed quo nam modo patuiſſet hoc donū, ſi nihil fuiſſet impedimento, ſi nihil reſtitiſſet omnino? quæ ratio, quæ libertas fuiſſet iſta; vel circa quod operam nauaſſet ſuam?

ſuam? fuit ergo neceſſariò conſequens, vt velut aliquid illi poneretur à fronte, cui poſſet, atque deberet obſiſtere: & hinc ecce tibi æmulatio, hinc perſequutio, hinc diuiſa quædam voluntas, & foris ab angue maligno, & intus in nobis a ſenſibus ipſis. ſed hæc omnia tamen, tantum abeſt, vt nec in minimo nos impedire, vel dictum donum exhaurire deberent, vt hæc eadem, potius incrementum, atque doni perfectio deberent eſſe, cùm per hæc eadem nobis (ſed Deo iuuante) magnus patefieret cãpus, ad noſmetipſos augendos; tanquam alijs dijs, opificium Dei, multo melius, atque maius, reddendum: quod vt poſſemus eficere, neceſſe fuit omnino: finis enim, ad quem homo (ſed et eius gratia, per ſe ſe lucraretur) fuit factus, talis erat ac tantus, vt non ipſi ad illum peruenire, niſi per condignam virtutẽ, quaſi æque pariterque pulchro, licere deberet.

Sed cecidit homo è luto: & quemadmodũ planè, ſi, vel ſemel inimicum reijciens, ſuæ cupiditati dominari ſciuiſſet; in perpetuum poſtea pacatam illam, atque ſummiſſam poſſediſſet in ſe; ita decidens eam pœnam incurrit, ac ſecum ipſe quodammodo pertulit; vt quamuis illum ex ea tyrannide (cuius quaſi ſimplex auis euaſerat præda) cæleſtis gratia liberarit; eiuſmodi tamẽ, vt dico, pœnam incurrit, vt tamet ſi non compellens, rebellis tamen, iſta mala cupiditas relicta ſit illi: eiq. malorum, atque miſeriarũ materies tam copioſa ſit data; ſed quid propterea? nec minus nunc eius gratia, qui reſtituit nos, quàm integritatis, innocentiæque in ſtatu, hic inimicus, hæc perduellio, hæc tot mala, miſeriçque (ſi congruenter ſuſcipiantur a nobis) ſunt eiuſcemodi planè, vt his ſe ſe noſtra purificet ratio, quaſi aurũ igne: currat velox quaſi nauis à ventis: egrediatur, immutetur, non obſtricta remaneat, vua quaſi torculari compreſſa, pretioſum in vinum. Quin immo, attende quæſo: poſtquam lapſus eſt homo, tam fuit miſer, à ſummo fine diſiunctus, vt eſſet opus omnino, quaſi ventus, quaſi præpotens flatus,

qui

qui nos urgeret, acueret exercitio iugi: excitaret, expellet inuicta vi, penè dixerim, è terris ad cœlos. Et hinc ecce, diuitias ſapientiæ Dei, id ipſum, quod in pœnam irrogatum videtur, non niſi eſt tandem inſtrumentum mirabile, non niſi ad finē copioſa ſupellex: itaut verè dici poſſit à nobis, Salutē ex inimicis, & de manu omnium, qui oderūt nos.

Verum enim vero, ſi tibi homo, non nunquam, haud æquum videtur ſe ſe certamen offerre: nimis durum, nimis graue nimirum: caue quin etiam, ne haud bene temetipsū agnoſcens, ineptè, ac ſtultè nimis te te abijcias atq; proſternas: vel, vt forte conguentius loquar, ne tu nimis delicatus, ac mollis tuum iſtud effugias onus, iſtud tibi aſſignatum, iniūctum: ſi enim vides hominem tolerantem vt fortem: alium conquerentem vt vilem, noli hoc attribuere inæqualitati malorum: non enim in malis diſparitas, ſed in animis tantum. Quamobrē caue, ne tuum effugias onus, immo tuum ne repudies donum: donum illud, hoc eſt, quod per tale tibi onus offertur: ne tu te parum dignum oſtendas, cui tantum crediderit cœlū: ne quaſi cœlum, quaſi Deum reprehendas, quod nimis erga te liberalis, te nimia virtute donarit. ſi enim magnum eſt onus, ergo & magna eſt virtus: fidelis eſt Deus, pro ratione vnius, dat alterum: hæc immo ſemper tranſcendit, & ſuperat.

O homo quot in mala prolaberis, quòd ſēper timidius fugis: nūquam temetipſum agnoſcis: nec experiris aliquādo cœleſtem gratiam, Dei donum in te: & idcirco per ſummam ignauiam, quaſi vir robuſtiſsimus a pumilione, quem credis Gigantem, eluderis: quaſi fortiſsimus equus non pergis, quòd vmbra vana deterret: cadis animo, tibi magna, confingis, quæ nulla ſunt prorſus: nulla ſunt enim: quid cadis animo? & ſint illa quæcunque. Qui dolus, quæ miſera fraus, in magnis malis cenſere, iacturam opum, amicorum, vitæ? nulla ſunt enim: ſi quod vnum eſt verè, non amittitur ipſum; ſed ſunt tamen pericula, ſunt tētamenta, quibus

ipſe

ipſe magnus Pater familias,tanquam ſecedens ab homine, periculum de illo facit, ac probat. immo dixerim citius, ſũt adminicula veſtra,(vobiſcum loquor,magnanimi,) ſunt inſtrumenta,quibus ipſi poſſitis,non ſolum vos dignos Dei filios reddere, obtemperantes, & humiles: ſed liberales, munificoſque præterea: non auri,vel argenti: ſed largitatis cuiuſdã,quæ vna Deo,Recipientis nomen poteſt imponere: ſi nos ipſi videlicet, hæc inter pericula, has inter aſperas res,quid de proprio corde,de voluntate præcidimus:captiuã ducimus, inquam ego, partem illam de nobis, quæ perduellis apparet,atque illi deferimus:quòd enim ad reliqua, & ſi fortaſſe tu hæc ipſi videaris præbere, ſunt eius tamen, ſunt plenè, ſunt abſolutè ipſius: tu nihil habes in ijs: ſic enim ait, ad hoc ipſum alludens; Non accipiam de domo tua vitulos,neq; de gregibus tuis hircos,nam meæ sũt omnes feræ ſiluarum: ego cognoui volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum eſt. & paulo poſt, Si eſuriero,non dicam tibi,meus eſt enim orbis terræ,& plenitudo eius.hoc vnum eſt illud, per quod homini licet liberalem eſſe in Deum, ; ita liberalem, vt ille, qui non ſolum eſt omnium largi- munificus, ſed omnia poſsidet in ſe ſe (quaſi vnum ũ deeſſet) re vera ab homine, tanta eſt eius gratia, dicatur accipere. Sed haud tantæ dignitatis capax eſt homo, niſi hoc ita facit, vt præ voluntate ardenti,tanquam in ſacrificium, & in laudis ſacrificium, id offerat illi: quoniam ſcilicet,cum vel maxime tentatur, & angitur,& ipſe ſe vincens: atque Deo ſacrificans eam, quam ſentit obſiſtentiæ vim, illi præterea benedictiones, ac laudes humillimè deferat; ſic enim Spiritus Sanctus (cum prius omnia dixiſſet Deus in ſua ditione manere: nec ſibi opus eſſe, vt abs te quicquam accipiat) hunc locum concludit: Immola Deo ſacrificium laudis,& redde Altiſſimo vota tua.

Sed illud Deo cooperari in propriam ſalutem, quòd omnium diuinorum diuiniſſimum eſt, quì fieri poteſt à nobis, niſi

hæc

hæc ipſa ferendo, & ſuperando contraria? vnde nobis eſt illa adiectio gloriæ, illa in cælis plenitudo lætitiæ, illud poſſe proferre: Abs te ego mi Domine hoc diadema recepi, ſed has quoque manus tam egregij facti, tu effeciſti, participes: noluiſti ad ſummam hoc in meo capite conſpici, quin, & ego quis eſſem, quidue effeciſſem ſciretur: res tanti momenti, vt ipſemet Dominus, cum quæreretur (dum introibat in cælos) Quis eſt iſte Rex gloriæ? quaſi voluiſſet inferri: quis putas iſte eſt, quoue iure ſe Regem gloriæ facit? voluerit de ſe poſſe reſponderi: Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio; quod idem fuit fortaſſe, ac ſi dictum fuiſſet: quid eſt quod rogetis? an non ſcitis, qui nunc victor redit è pugna? qui fuit fortis in prælio, atque adeo fortis, vt ſolus in antiquum hoſtem exſtiterit potens? Sed hinc etiam factum, cur vulnerum ſanctiſsima ſigna, in manibus, in latere, ac pedibus retinere, quàm abolere maluerit; hinc inquam factũ, ad æternam, nimirum; ſui ipſius gloriam, non ſolum ad amoris æternum monumentũ in te.

Contemplare præterea, quot vnquam gentium magni fuerint viri: quot inſignes virtute: quem ipſe tu iudices ſublimiorem pertigiſſe ad metam; nec aliunde videbis, præterquàm hinc eueniſſe: hæc vtique adminicula, has rationes fuiſſe, quibus tantũ illi potuerint: his viribus illos, his repugnantibus, atque contrarijs rebus tam vltra prouectos.

Intuere apud Deum chariſsimos quoſque: qui ſunt illi, quos ipſe maius delegit ad bonum; & id reperies, non niſi fuiſſe per hæc vna, quę dico: primùm, illos deductos per maxima mala, maximis omnium tentationibus actos.

At eos, qui Principes, inter cœlorum Seraphim ſedent, vt ibi credis confirmatos fuiſſe, niſi quod vicerint, quòd pertulerint difficiliorem contentionem, duriorem luctam, maiorem pugnam, quam alij?

Immo vide, quam ipſemet Deus factus homo, ſibi de malis ſuſceperit partem: quos per gradus tantum illum euexerit

Deus?

Deus? perpeſſus eſt in ſua patientia: ſubijt in ſuo cruciatu: quaſi coegit in illum (talis erat intelligentia Chriſti) omnes omnium dolores, atque ſupplicia: per omnes pœnas, per cuncta mala pertranſijt: tentatus fuit per omnia: citius dixerim, ſolus omnia tulit, cùm ſolus Adam peccati grauitatem comprehenderit, vnde mala, vnde pœnæ permanarunt in Mundum: ac ſolus omne pondus pertulerit, vnde plenè ſatisfactum eſt illi. ex quo fit, vt quiſquis alius perpeſſus eſt aliquid, hoc ab illo per participationem fuiſſe, dici poſſit reuera. Nam quemadmodum circa gratiam, de plenitudine, quin immo & de redundantia eius, omnes accepimus: ita congruenter omnino, circa modos, & vias, quibus ipſa impartitur, & gloria, de eo quod Chriſti vaſti redundarunt torrentes, cui vna, cui alia obtigit pars: totus denique fuit Mundus aſperſus. ſed hoc ita par erat, eum ſolum nimirum, ſupra ſe cuncta mala, tempeſtatē omnem ſuſcipere, cùm ille ſolus & ſibi, & nobis, eam conſequi gloriam, tanto perſui bono, commereri deberet. Quid addam? ſic oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriā ſuam per tot mala, per tot dolores, per dolores omniū, per tot dedecora, tot cruciatus.
Cùm itaque homo, tu iſta, vel illa calamitate vexaris, ſcito præſtantiores te multo, haud diſsimiles ſuſtinuiſſe res: tuum Ducem, & Caput iſtaſmet ipſas (quod ad ipſarum attinet amarulentū ſuccum) hauſiſſe & ebibiſſe te prius. tu reijcis, non æquo ſuſcipis animo? nec fine, quem afferunt iſtæ, nec numero illorum Heroum: nec Deo dignus es duce: dicam amplius etiam, nec humanitate, qua conſtas, nec ipſamet communi natura: quid enim eſt in vniuerſa natura, quod quiete fruatur, quod (vt congruere poteſt illi) non ſuum ſuſtineat onus? abi ergo à rebus ipſis, quæ ſunt: ne ſis amplius, ſi tibi addictum repudias, ac defugis onus.
Verum enim vero, ſi bonus, ſi ſapiens eſſes; qui fieri poſſet, vt tot Dei promiſſa, tot teſtimonia Sacrarum literarum, nō permouerent te: non tibi cor, non tibi robur afferrent?

non audis: Multæ tribulationes iuſtorum, ſed de omnibus his liberabit eos Dominus? immò veritas ipſa, qua te ſolando cohortatione, reddit ſecurum, ac tutum? Expecta Dominum, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te. Sed quid inſuper? bono, non erit etiam leue, cũcta perpeti mala; dum in ipſiſmet anguſtijs, prope ſe eſſe Dominum audit? Iuxta eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde: & ibi demùm, præſtantioribus verbis, locupletiore promiſſo; Cum ipſo sũ in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Quod ſi tam videtur honeſtum (quando id habet occaſio) non nullius digni viri fidem ſequi, atque ſe totum illi committere: quid affirmandum erit de Deo, de illo Deo, cui tam merita iſta fides eſt, vt habeatur licèt ipſi, duriſsimò quocunque caſu, præclariore quocunque modo, nõ niſi ſit tamen, quod ſolum eſt debitum? ne putes homo, te quid magni peragere: nam Deus eſt ille, cui te committis, & credis. Intuere Martyrum inuictam conſtantiam, in tam variæ mortis perhorrendis aſpectibus. Intende mentem ad Abraam, dum iam certus in ſe, vt Deo parêret, admouebat gladiũ ad filij guttur. hunc tamen dum credidit, ex illomet filio humanã carnem deſumpturum Deum: & illos tam firmè tenentes, quamuis diris necarentur ſupplicijs, nihil tamen futurum fuiſſe, vt ſibi mali contingeret: nihilo plus ſcito feciſſe, quã ab ipſis in Deum conueniens eſſet, ac debitum: & hinc audis illud: Credidit Abraam, & reputatũ eſt ei ad iuſtitiam. Quinimmo iſthuc etiam, perfectione deueneris: imiteris, referas iſtos, vt vis; nihilominus tamen, cum ipſo Apoſtolo confitendum eſt tibi, Sed non in hoc iuſtificatus ſum. Plus etiam dicã: poſt hæc omnia fateamur apertè, quia adhuc Serui inutiles ſumus: profiteamur ſincerè, nihil nos prorſus egiſſe, nempè ſi volumus rationem eius habere, quod deberetur in Deum. & nunc tecum ipſe perpende, quantæ ſit culpæ, vel quid minimum de Deo ambigere, vel dolere. Sed quiſquis, hac in re, non eſt conſimilis Beato Iob; qui

vt ſacra teſtantur eloquia, nec quicquam ſtulti, contra Dominum eſt loquutus; nec ijs, in quos cadit id alterum, Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum; quo cætera rectior, quo probior, ſibi eſſe videtur; plus eſt illi verendum (id a nobis accipiat,) ne non ſit talis, tali corde, tali fide munitus: & hinc etiam addo, ne non vexetur a Deo, quemadmodum euênit iuſto, vt conſeruetur, vel augeatur vt talis: ſed vt potius ipſi, cœcitas tanquã tollatur, atque reddatur vt talis. Non abnuat ergo, ſed accipiat de manu Domini: ſummittat ſe ſe: perſcruretur, diſcutiat; & id fortaſſe, quod ſe putabat habere, id ipſum comprehendet a ſe Deum expetere. immo vero, quid in dubiũ reuoco, quod omnino ſic eſt? quisquis conſtanter, ac libere non ſeſe Deo committit; qui lamentatur in aduerſis; euidens ſane ſignum, haud illum bonum eſſe: ille quippe bonus eſt, qui ſe totum ſuo Domino tradit: qui quoddam quaſi eſt inſtrumentum, ad omnem eius manuum voluutatem, promptum, paratum: inſenſibilis quaſi res: tanquam Chriſti frumentum, vt ſanctus inquit Ignatius, cùm rugiẽtes audiret leones, Chriſti frumentum ſum, dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar.

Sed vero, ſi hæc ipſa eſt pugna: hic adeſt campus, in quo quiſque decertat, vt excellentius, quò poteſt, præmium aſſequatur in cœlis; quid, quo iure conqueri, cur ſic affici? quin immo, quisquis ita non exerceretur: nec talis illi præberetur occaſio; vt non deberet (ſi comprehenderet quicquam) hinc animo frangi, ac ſi de ipſo non haberetur ratio, nec eſſet in numero? & planè, quis generoſus miles, ſi, dum eſſet in armis, ſe ab ſuo duce retardari videret: vel ſibi leuem tantum, ac futilem aliquam honoris anſam præberi, non ſuſpiraret ardenter, non cum ipſo cœlo, ſi non aliud poſſet, euomeret virus acerbitatis internæ? quem fugit enim, quos cogitat Rex, de promouendo ad magna, ab illo prius perduris exerceri laboribus: multis periculis,

multis argumentis tentari: nec ijs demum eripi, ſed dari occaſiones: ſed latum campum concedi?

O pulchras, ò raras occaſiones. vos eſtis illæ, quæ magnos red ditis homines: vos gradus, per quos in cœlum aſcendimus: vos dignæ, quas ſuſpiremus, optemus. De ſe Cyrus aliquã-do, ſagacem apud Xenophontem, cum amicis colloquens: & illis, tanquam eius facta mirantibus volens occurrere, ſe multum Deo debere, prærer cæteros ait, quod ſibi talem patefaceret campum: quot enim exiſtimatis inquit, ſi Deus illis facultatem praberet, non Cyro minores apparerent, & eſſent?

Quàm ergo liberalis eſt Deus, ſi bono ſuppeditat modum, vt ſe ſe fidelem in ſuum Dominum præſtet, vt re vera bonus euadat? & inquam euadat, quantumvis licet ſit talis: homo enim, quantum vis licet ſit bonus, nec ipſa tamen ratio patitur, vt tale ſibi nomen vſurpet: nec vnquam tutò re vera, poteſt illud ſibi tribuere: non poteſt dici nimirum hanc, illamue poſsidere virtutẽ, niſi prius hæc virtus, quod ſibi ſtatuitur contra, ſubijciat vitium. mirabile dicam, niſi quaſi ex aluo ſpurciſſimæ matris: fœda quaſi è concha nobiliſsima vnio, per uim extrahatur. quid quæris? è contrarijs alterum, nunquam eſt firmum, nunquam eſt tutum, niſi ex alterius ruina in ſe ipſo firmetur. Quam bene generoſus ille Romanus, qui cùm à ſuis, in caſtris, ſalutaretur Imperator; Nequaquam (inquit, erga copias hoſtiles conuerſus) nequaquam tale nomen eſt mihi, quoad illud hoſtium vallum non expugnetur, & cadat.

Sed eius inſuper conditionis ſumus: tam inſanientes, tam nulli quotquot ſumus mortales, vt inſignis ſit fauor, quem in nos confert Diuina bonitas, cùm nos crebro per aduerſa inuiſit, vir iuſtus hoc modo ſeruatur, ſit etiã melior, maior: malus autẽ redit ad ſenſum inducit animum, incipit. Conſiderentur, ſi placet, homines quocunque modo: vel abſque diſtinctione: vel ea tantum, qua diſtinguuntur reuera: bonorum

norum videlicet,ac malorum. ſi primo modo,ſunt ita (magna ex parte) ac fermè omnes, inconſtantes, dementes: cuiuſuis, quæ perflet, auræ ſectatores: adeò minus, quàm ipſimet opinentur, vt in ijs, nec fides ſit, nec firma voluntas, vel alterius in alterum,vel erga Deum,vel erga ſaltem ſeipſos. Si extenderis manus, inquit Auguſtinus ſanctus, facienda promittimus: ſi ſuſpenderis gladium, promiſſa non ſoluimus: ſi ferias, clamamus, vt parcas: ſi peperceris, iterum prouocamus, vt ferias. Quare magnus actus miſericordiæ eſt,eiuſcemodi monitis nos refrænare: ad nos ipſos reducere: quaſi equos ferociores factos domitoribus tradere, qui nos, tanquàm ducant in gyrum rationis, & mentis. Quòd ſi verò, de ſceleſtis loqueremur, & impijs: ſalubris illorum veterno medicina: veh malis, ſi manus Domini non viſitat eos: magis etiam veh, ſi res potius illis obſecundare videntur;nec ipſi hoc interim ſpatio(quod Dei finis, & ſcopus) perfunduntur pudore, atque virtutis reducuntur in viam; magis inquam veh,nam tanquam argumentum eſt clarum, quod Deus obdormire vult illos (tantum apud eum ſunt meriti)ſed in alia vita,dum in hac ipſa magis ſuæ cupiditati traduntur: & neſcio quid dulcis ebibunt, eò ipſis in alia, grauiora præparantur tormenta. Non punit Deus acerbius: non auſterius ſupplicium ſumit de impio, quàm cum nullum de ipſo, ſupplicium ſumit in vita. Sed ſi non ſolum, vt aio, non punit illum, ſed illi potiùs bona concedit, nec bona proficiunt: non Dei bonitate moueatur; ſunt bona miſeriæ, ſunt iræ: tunc eò maior eſt pœna, quæ manet illum in alia vita.

Quid ergo indolebit innoxius,ſi ipſe quandoque languet oppreſſus, & impius contra felicitatur, & gaudet, ſi non modo, nec eius generis bona,nec mala ſunt vera, ſed iræ ſunt bona: & ſunt id genus mala, ex alia parte, vt illum perducant ad multò maius bonum, quàm ſine illis vnquam habuiſſet? hinc immo vir iuſtus, ſecum ipſe cogitare deberet,

cum hæc bona, & mala (quaſi luderet ſapientia Dei) & bonis,& iniquis attribuat: & ex his ad illos identidem variet, auferat, mutet; nulla eſſe omnino, nec alicuius momenti. Et hoc ipſum quid dubij, ſpectat etiam Deus: ſpectat nimirum, dum hæc agit in homines, vt id iuſtus imbibat, atque ſenſum illum euellat è mente, aliquid eſſe poſſe, præter vnum finem, quod reuera ſit expetendum,& valeat.

Magna vi, magnis profectò machinis, vir iuſtus oppugnari videtur, dum ille conculcatur, obteritur: & in hoc ipſo fortaſse malus æmulus eius euocatur ad cœlos: ſed via, ſed inſtituta ſunt omnia, quibus ſuos purificat Deus: quibus. Illi ſe reddunt dignos filios eius: quibus ipſe nimirum reddit illos vt deos. & ecce, in cunctis, quæ facit ſapientia Dei, ſiue bonis cumulet malum, ſiue malis obterat bonum; non niſi bono deſeruit, & agit.

Nec vlla me nunc afficit admiratio, cur Deus interdum, quaſi vt vltimum terrenis in malis, innocentem improbo tradat: poteſtatem concedat huic, vt illa mala ſuper caput eius effundat, quæ ipſi ſoli iuſta eſſent, ac merita: immo verò, ſi hoc ſummum, & vltimum terrenis in malis; ergo nec maius documentum, & ſignum, aliquem Deo charum eſſe, Deumque de illo cogitare quid magni: quemadmodum etiam contra, quod ad impium attinet, nec argumentum eſt peius: hæc eſt maledictionum poſtrema: hæc in ipſum vltima ira.

Sed nec tamen reuera, tum, cum iniquus, ac malus eſt oppreſſor: atque ſimplex & bonus eſt oppreſſus, eſt vllo modò ſic, vt videtur. Nec enim dici poteſt oppreſſus, quiſquis ſolutus in ſeipſo eſt: atque mente ſupereminet omnia. Sed non poteſt homo, non poteſt, vt rem breui perſtringam, niſi à ſe vno conculcari, ac perpeti: non vis (quod ſpectat ad reliquum) nō furor, non poteſtas eſt vlla. Quid quod, incredibile eſt hoc? immo quid diceres, ſi cum bonus, & ſimplex in ſcelerati manus ſibi tradi videtur; contrarium omninò delite-

delitefcit ibi : delitefcit nempè, vt rectus praui dominus fiat, eique in illum abſoluta tribuatur poteſtas? ita eſt: ecce modus : tum improbi traduntur bonis (ſed ſuo tempore detegēdum eſt hoc) tum ipſis in illos impartitur imperium, vt iudicent, vt pœnam irrogent illis; vt faciant in eis iudicium conſcriptum. Sed ſi audis inſuper, ad faciendam vindictam; intellige tantùm de impiorum conatu: nam quod ad reliquum, nequicquam iſti potuerunt in Sanctos. ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: O miſerum ergo tyrannum, vt cum tu credis, alios in ſeruitutem redigere; in ſeruitutem redigeris ipſe. Quinimmo potiùs, ò incomprehenſam, ò diuinam virtutem! vt illa, quæ videtur oppreſſio, deſeruit tantùm, vt ita dicam, Deo, vt ſuam quaſi ad voluntatem, & cor, maiore gloria, ſplendidiore honore, queat iuſtum complere. ſed hæc eſt laus, hæc eſt gloria bonorum: gloria eſt hæc omnibus Sanctis eius.

Nec ergo ex ijs, quæ huc vſque ſunt dicta, quantum ad illos, qui ex grege Chriſti cenſentur, vel quicquam dubij remanere opinor, cur bonus identidem afficiatur incommodis, cum & ſceleſto quandoque, non parua bona ſuccedant? at ſi ſcire velles ex ijs, ad quos ius non ſpectabat felicitatis æternæ; quonam modò ſit factum, vt nefarius innocentem oppreſſerit: nec non alter bona, alter vero reportauerit mala? id indigebit fortaſsè conſideratione maiore. Brutus, Cato, atque tot alij præſtantiſſimi ciues, oppreſſoribus ſuis multo probiores ſunt viſi. O Brute, quo ſenſu, qua zelotypia tu mouebaris ad liberandam Patriam: quam rectus animus erat: quo illis fueras æquior toto curſu tuæ vitæ præteritæ? & tu tamen defluxiſti, remanſerunt illi, triumphatores felices. nec verò, cum nequaquam, vt dixi, pertineret ad eos æterna felicitas, idem poteſt de ijs, atque de Sanctis affirmari fidelibus: quid ergo, ſi hanc ad arcem non eſt recurſus, quid dicemus? ſed quantum ad impios,

modò ſupra dicebām,non niſi maiorē in eos ipſos ob iram, & ſic etiam maiorem ad pœnam, ſe meliores multo, in poteſtatem [redacted]ipſis fuiſſe conceſſos. nec verò boni propterea,ſtultum ad actum debuerunt erumpere; & nullum malum excepiſſent poſtremò: quin breui vnaquæque in bonum perſpexiſſent conuerſa.

Cecidiſti Brute, & cui poteſt eſſe compertum, an in pœnam id euenerit tibi (nec enim eſt par, ſi quis viam ex tranſuerſo capeſſat, in rectum, illam terminandam expectet) cecidiſti: cui notum eſt,inquam, an id fuerit pœna, quòd non ſis vſus, vt debebas, & poteras, quam callebas, prudentia; tuorum te verbis dimouendum permiſeris: quaſi ſciens,& videns ad exitium, ad ruinam cucurreris? & tu tamen interdum vſurpabas hoc dictum,Haud rem tibi, viro conuenientem videri, quicquid rogemur concedere: nec quicquam poſſe denegare petenti.

Cecidiſti. cui poteſt patere,quibus donis præcellueris alios:vt ijs bene reſponderis: qualem te te pro iſtis Magno Deo præſtiteris? quàm ſeuerus, quàm indignans in illos, hìc Deus eſt,qui donis eius non vtuntur,vt decet: non reſpondent, non perueniunt vſque eo, quò poſſent, præ lumine, præ gratia data; cui notum, vt aio, quàm indignationem demerueris hinc, an hinc in ea mala deueneris, vſque tantam inſaniam, tantam ſtultitiam?

Quis nouit, an etiam Bonitatis Diuinæ, hic effectus extiterit? non loquor de nece, de ſtultiſſimo actu,quem ipſe volens incurrit: ſed præter hunc actum, de tota illa miſeria, qua eſt affectus à Deo; quis inquam nouit,cum is compos futurus non eſſet felicitatis æternæ:& non nihil tamen fortaſſe, cum Deo non ingratum egiſſet; in hac eum vita, voluerit Deus affligere, ne totas ipſi in altera rependeret pœnas? pęnas illas incomprehenſas, horrendas, quarum, nec quidem minutiſsimæ parti, hìc omnis gloria, hìc omnium omnia bona reſponderent ex æquo.

Immo·

Immo verò ecquis poteſt videre, an hanc Bruto vexationem præſtituerit Deus, vt hinc magnũ aliquod lumen, atque virtutem acquireret, per quæ poſſet deinde (ſed ab ipſius Dei bonitate) vſque ad eius cognitionẽ, ad eum vera religione colendum, paulatim perduci; & ipſe conſceleratus, & impius, impius, nimis diffidens, ſibi mortem conſciuit. Quam crebro, quot modis euenit homini, vnde bonum deberet, inde malum excipere: quantum mali, quod cœli ſermonis proprietatem non capit, qui noſtræ quidem cupiditati obſiſtit: illi quidem aduerſatur omnino: ſed non deſtruit tamen, ædificat: abijcit, non allicit mortem: intelligenti ſecuritatis eſt plenus: magna, atque mirifica facit: aperit feliciſſimum finem. Sed non niſi qui eſt à Deo, proportionem habet ad illum: non eſt omnium ſermo: felix, quem ille non præterit, qui reuera comprehendit: in illo redduntur tuti, atque ſalutis ad portum appellunt electi: in illo, atque per illum, vel in hoſtium incidunt manus, vel naufragantur, & pereunt reprobi. ſed nec vllus eſt tamen, qui ſeſe ab ipſo excuſet omnino: ſi enim rogemus, Quis oſtendit nobis bona? nos à nobis ipſis (ſi non pigebit attendere) poterimus illud auferre reſponſum, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Præterquamquod, & alibi ſcriptum eſt, quod verbum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: quod lumen, & in tenebris lucet: & nulla poteſt vnquam extingui procella. nam aut talis (vt diximus ſupra) in te virtus exiſtit, vt poſſis mala tolerare, ac vincere: aut Deus in ipſiſmet malis, cum nec tu quidem comprehendas, in te virtutem, atque robur infundit.

Sed quam bonus eſt Deus his, qui recto ſunt corde? vexentur, affligantur, vt lubet: agatur etiam cum illis, quàm peſſime; quemadmodum ſeſe remiſſos, humileſque tuentur, ſic etiam caue credas, fore, vt vnquam poſſint vllo onere opprimi: nam tantùm abeſt, vt vllus vnquam iuſtus opprimatur, nec ſibi onus iniunctum ad perferendum ſit aptus,

vt

vt etiam de illo, atque ex eius perſona ſit dictum, In tribulatione dilataſti mihi. Caue credas quid multa? hinc iuſtum vnquam vllum perijſſe, vel hinc fortaſſe futurum, vt poſsit aliquando perire: vexationes, ac mala, quæ non ſuo ſubit peccato, illi fieri poſſe, vt ex Deo ſint petra offenſionis, & lapſus: immo non ſolum, quæ non ſuo peccato, ſed & quæ propria culpa, ſi reuera pœnitet hominem, caue credas, niſi ſolum in bonum, niſi felicem in finem, illi fieri poſſe, vt conuertantur à Deo. Enimuero, ſi quis vnquam gentium eſt habitus iuſtus: at propter tentationes, & mala deperdi eſt viſus; valde vereor, ne hoc illi euenerit, quòd talis non eſſet: eſſet fictus, quaſi fictum argentum non reſtiterit ictibus mallei: videretur: eſſet dignus, de quo periculum fieret: in ipſo periculo deprehenſus ſit alius. immo vero aſſererem, quod & ſupra tetigimus, vt excitaret ſeſe, ne ex illa tanquam caligine, impiam in cœcitatem, in ipſam mortem incurreret, illi data vexatio eſt; & ipſe, in ipſo ſalutis inſtrumento deperijt: quid in illo errore, quid per ſeipſum, abſque tanto impulſu, atque adminiculo ad exurgendum feciſſet? Verus Dei cultor (hoc exploratum habeto) non ſubuertitur malis, nullis cedit ærumnis: attendat vero ſibi ſecundis in rebus; in ijs enim tantum in diſcrimen adducitur virtus eius, & bonitas, vt niſi ipſe (quaſi Dei partes implens in hoc) illud dulce, ſua ſponte moderetur amaro; ſit tanquam in aëre, cum omnibus ijs, quæ peregerit bona: paulatim (nec ferè ſentiat modum) cum iam poſita fundamenta laxentur. non aliter demum, atque ingens ille terreorum pedum Coloſſus, horribiliter, fœdèque ruat, & cadat: idque propterea, quia tum noſtræ cupiditates innatæ, cum vel foris non affligimur] malis, vel intus in nobis non ſuſtinemus apertè tentationes, ac pugnas. tum illæ ſenſim, & quaſi per occluſos meatus, commodam habent occaſionem, vt nutriantur, & creſcant: tanquam venenum diffundantur in venas; donec denique eo veniat

res,

res, vt ceu clauſa vis, ceu turbo violentus erumpant. & ſic illæ, quæ alioquin, ſi palàm in contentionem venirent, haud magnum minarentur diſcrimen: immo illæ, quæ cæterum, ſi quid extrinſecus ſeſe nobis opponit, nobiſcum conſpirant, atque obſecundantes, rationis vires euadunt; ipſæmet etiam, ſi quandoque vacamus: ſi quid in ſpeciem nobis obuenit boni: ac multo etiam magis ſi ad aliquem erigimur gradum; primum quidem occultè ſeſe ſubducunt à nobis: paulatim augeſcunt deinde: occaſionem attendunt: exardeſcunt denique, aggrediuntur, euertunt rationem, & hominem.

Tam diu ſtetit, atque ſalua permanſit Romana Reſpublica, quo ad foris fuit armis exercita, atque multos hoſtes, quos extimeſceret habuit: ſed vt vires, ac bella, quæ vndique ipſam circumſtabant extinxit: & ignis, qui alicuius in animo longum, & commodum tempus, clam vim, atque fomentũ acquirendi habuerat, apertus eſt; tum illi occumbere vis fuit omnino: nec vlla prouiſio, nec vllum amplius conſiliũ fuit; & ita fax illa, quæ vel dum palam interdum, erupit in patriam, vel dum bella foris vrgebãt; haud magnum attulit damnum; cum deinceps iam in tuto res eſſe debuiſſent, atque ſumma tranquillitas conſequi, tum ea barbarie in ipſiuſmet patriæ viſcera ſeſe tota conuertit: vt quaſi viſus ſit Deus ab illa diſcedere: quaſi hoſtilem in modum, quaſi infenſiſſimo animo, Ciuitatem illam, illam miſeram gentem inſectari, ac perſequi. Legat qui vult, lanienas immanes, ſtrages, impietates crudeles trium latronum; & cõtempletur, ſi cuncta prouenerint è radice, quam dico: at redeamus ad nos. in tranquillitate caducorum bonorum: & cum planè videtur omnis turbo, omnis procella ſublata; tum ſibi caueat bonus: tum ſit attentus, & perſpicax, cum prope litus, & terram deuehitur nauis: quod enim in vndis, procelliſque malorum, quantumuis truces, horribileſque minẽtur, non patiatur naufragium iuſtus: ſed ſemper attingat

gat glorioſum ad portum, appareat demum feliciſſimus finis id habeto tot in locis ſacrarum literarum, ex omnibus illis antiquæ legis tentatis: ex illo populo inquam, qui ſuis in rebus [illegible] aliud fuit, quam Chriſti futurę dilectiſſimę ſponſæ viua quædam figura: illius doni, illius gratiæ nempè, atque omnium rerum, quæ vel ipſi concedi; vel ipſi, ſuis in membris euenire debebant. Omnia vt inquit Diuus Paulus, contingebant illis in figuram: contingebant nimirum in corpore, atque rebus terrenis, & in futuris fidelibus innuebant cæleſtia. Recordare totius gentis iam eo redactæ, vt nulla reliqua ſpes eſſet humana, rubrum inter mare, atque potentes iratorum hoſtium turmas. Reminiſcere inſignis, Abraam, ſupradicti exempli, iam iam gladio prope nati ceruices: patientiſsimi Iob, quaſi viliſsimi vermis, in vltimas coniecti miſerias; manſueti Ioſeph: caſtæ Suſannæ: iuſti Tobiæ: ſancti Danielis: inuictorum trium Sidrac, Miſac, & Abdenago: Mardochei, atque tot aliorum; & quoniam omnes beatum ſortiti ſunt exitum; interpetrare, vt in figuram, in ipſis finem illum felicem, ac beatum, circa res caducas in terris; vt in figuram inquam, veri boni in nobis, atque veri finis in Patria.

Nec vero propter ea nunc etiã Deus, in Eccleſia ſancta, poſt illam malorum perhorrendam imaginem, non effundit vberrime ſuper ſibi dilectos, & charos, de theſauris ſuis terrenorum bonorum: non conuertit tonitrua, atque tenebras hiemis, in ridentem, ac puram ſerenitatem æſtatis: ſæpè quaſi videtur deſerere, iam actum eſſe de rebus (& totum nõ niſi ad ipſius iuſti coronam, ad aliorum exemplum) & ecce Deus eſt tecum. ecce tanquam dehiſcentibus ianuis, te te vides actutum in latitudine mira: redundas, effluis cunctis bonis creatis. teſtimonium dent mihi in hoc, multi iuſti, atque integri Principes, quàm opportunè erepti, ac liberati fuerint, & quo etiam mirabili modo, ex eiſdem interdum ruinis: & ad quem gloriæ ſtatum proue-

ucti,